alioqui, ſi relicta forte vita ſolitaria, ad aliam quamlibet ſeſe conditionem tranſtulerint, certum eſt eos ad ſervitutis jugum, quam monaſticæ profeſſionis cultu evaſerant, reverſuros. Datum Non. Febr.

De ſervis, adſcriptitiis, & curialibus ſeu officialibus.

In AUTHENT. de ſanct. Epiſcop. §. ſed hæc quidem. col. 9. tit. 6. al. tit. fin. ſeu Novel. 123. cap. 4.

Epiſcopalis ordo liberat a fortuna ſervili, vel adſcriptitia: ſed non a curiali ſive officiali: nam & poſt ordinationem durat: ita ut per ſubjectam, vel interpoſitam perſonam officium adimpleatur: niſi curiæ, vel officio reſtituatur.

In AUTHENT. de Monachis. §. hinc autem. col. 1. tit. 5. ſeu Novel. 5. c. 2.

Verum & ſi legitimo probatus experimento monachus efficiatur, evadet jugum ſervitutis. Debent enim per triennium, antequam monachi efficiantur, in monaſteriis permanere, poſtea vero ſi monachi facti fuerint, liberi erunt.

De monaſteria relinquentibus. 1. *De fructuum oblatione. De angariis, & quibuscunque vexationibus.*

39. [1].

Qui ſua monaſteria relinquunt, non recipiunt, quas attulerunt ad ea, res mobiles, cujuſcunque quantitatis ſint: etiamſi non ſint confecta monumentorum geſta ſuper illis. In donationibus autem immobilium, oportet jura ſervari, quando non adimitur ei, qui donavit, evictio [2] (earum). §. 1. Non oportet, Epiſcopos aut clericos cogere [3] quosquam ad fructus offerendos, aut angarias dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare, aut anathematizare [4], aut denegare communionem, aut idcirco non baptizare: quamvis uſus ita obtinuerit. † Transgreſſor cadit ab Eccleſia, & adminiſtratione ipſius, & dat decem libras. Hæc vero obtinent in ſola imperatrice (civitate) & territorio ejus, & locis ad eos qui a patriarcha ordinantur, pertinentibus, aut ad ordinatos ab his Epiſcopos.

De monaſteriis, monachis, Abbatibus, Epiſcopis.

40. [5].

Monaſteria [6] degunt (ſeu cenſentur) ſub Epiſcopis territoriorum ſuorum, & Abbatum [7] quidem curam gerunt Epiſcopi: monachorum [8] vero abbates. §. 1. Non [9] ſit vero Abbas [10] duorum [11] monaſteriorum.

Inſinuatio teſtamenti coram quo fieri debeat.

41. Imp. JUSTINUS A. Archelao P. P.

Repetita [12] promulgatione, non ſolum judices quorumlibet tribunalium [13], verum etiam defenſores [14] eccleſiarum hujus Almæ urbis, quos turpiſſimum [15] inſinuandi ultimas deficientium voluntates genus irrepſerat, præmonendos eſſe cenſemus, ne rem attingant, quæ nemini prorſus omnium, ſecundum conſtitutionum præcepta, præterquam [16] Magiſtro cenſus, competit: Abſurdum etenim clericis eſt, immo etiam opprobrioſum [17], ſi peritos ſe velint [oſtendere] diſceptationum eſſe forenſium [18]: Temeratoribus hujus ſanctionis pœna quinquaginta librarum auri feriendis. Datum 13. Kal. Dec. CP. JUSTINIANO [19] A. II. & OPILIANO COSS. 524.

De electione & rebus epiſcopi. 5. *De œconomis.* 6. *De rebus xenodochi, noſocomi, ptochotrophi, orphanotrophi.* 7. *De his, quæ poſt neceſſariam erogationem ſuperſunt.* 8. *De ſucceſſoribus.* 9. *Ne quis per largitionem ordinetur.* 10. *De pſalmodia.* 11. *Concluſio.*

42. Imp. [20] JUSTINIANUS A. Atarbio Præf. Præt.

Omnem adhibentes providentiam circa ſanctiſſimas eccleſias in honorem, & gloriam ſanctæ, & incorruptæ [21] homouſiæ Trinitatis, per quam & nos, & communem rempublicam ſalvos fore credidimus: inſiſtentes etiam doctrinæ ſanctorum Apoſtolorum, *de creandis irreprehenſibilibus* [22] ſacerdotibus, qui quidem ob id potiſſimum ordinantur, ut [23] ſuis precibus benignitatem humaniſſimi Dei rebus adquirant communibus, præſenti lege ſancimus, ut quoties in qualicumque civitate ſacerdotalem ſedem vacare contigerit, decretum fiat ab his [24], qui eam civitatem incolunt, ſuper tribus [25] perſonis rectæ fidei, & honeſtæ vitæ, aliorumque bonorum, & virtutum teſtimonium [26] habentibus, ut ex ipſis idoneior ad Epiſcopatum promoveatur: ſi enim ſancti & glorioſi Apoſtoli ſacerdotium a Domino Chriſto Deo conſecuti, & qui bonis omnibus terram repleverunt, & ejus doctrinam omnibus impartiti ſunt, neque ipſi vitæ ſuæ, quam in hoc mundo degebant, ſalutis noſtræ cauſa pepercerunt: quomodo æquum non fuerit, ut qui ſubingrediuntur eorum ordinem, & inſtituuntur ſanctiſſimarum eccleſiarum ſacerdotes, purum habeant propoſitum, & pecunias [27] contemnant, omnemque vitam ſuam ad clementiſſimum applicent Deum. §. 1. Convenit igitur hujusmodi eligi, & ordinari ſacerdotes, quibus nec [28] liberi ſint, nec nepotes: etenim fieri vix poteſt, ut vacans hujus quotidianæ vitæ curis [29], quas liberi creant parentibus maximas, omne ſtudium, omnemque cogitationem circa divinam liturgiam, & res eccleſiaſticas conſumat. Nam cum quidam, ſumma in Deum ſpe, & ut animæ eorum ſalvæ fiant, ad ſanctiſſimas adcurrant eccleſias, & eis omnes ſuas facultates adferant, & derelinquant, ut in pauperes, & egentes, & alios pios uſus conſumantur: indecens eſt, Epiſcopos in ſuum illas auferre lucrum, aut in propriam ſobolem, & cognatos impendere. Oportet enim epiſcopum minime impeditum affectionibus carnalium [30] liberorum, omnium fidelium ſpiritualem eſſe patrem. Has igitur ob cauſas [31] prohibemus habentem natos aut nepotes, ordinari epiſcopum.

§. 2. De his vero epiſcopis, qui nunc ſunt, vel futuri ſunt, ſancimus, nullo modo habere eos facultatem teſtandi, vel donandi, vel per aliam quamcumque excogitationem [32] alienandi quid de rebus ſuis, quas poſtquam [33] facti fuerint epiſcopi, poſſederint & adquiſierint, vel ex teſtamentis, vel donationibus, vel ex alia quacumque cauſa: exceptis [34] duntaxat his, quas ante Epiſcopatum habuerunt ex quacunque cauſa, vel quas poſt Epiſcopatum a parentibus & theiis, hoc eſt, patruis, vel avunculis [35], & a fratribus ad ipſos pervenerunt, perventuræque ſunt: quæcunque enim poſt ordinationem ex quacunque cauſa extra [36] præfatas perſonas ad ipſos pervenerunt, ea jubemus ad ſanctiſſimam Eccleſiam, cujus Epiſcopatum tenuerint, pertinere, & ab ea vindicari, & evinci: nulla alia perſona poteſtatem habente, ex eo proprium quid auferre lucrum. Quis enim dubitaverit eos, qui ipſis proprias res relinquunt, aut reliquerint, etſi in aliam perſonam transferunt, aut tranſtulerunt, non [37] potius ipſum ſacerdotium contemplantes, quam ejus perſonam, & cogitantes, quia non ſolum ab ipſis relicta pie inſument, ſed & ſuas ipſorum res adjicient, id feciſſe? §. 3. Ab hac autem generali noſtra lege excipimus ea [38] ſola, quæcumque & qualiacumque in hunc usque diem fuerint Epiphanii Archiepiſcopi felicis hujus civitatis, & ſanctiſſimi Patriarchæ. Nam ſuper his, quæ ab hoc tempore ei adquirentur, ea, quæ a nobis conſtituta ſunt, obtinere, & ipſa ad ſanctiſſimam majorem eccleſiam pertinere jubemus. §. 4. Poſt mortem vero Deo amantiſſimorum Epiſcoporum, jubemus, ut pro tempore illarum eccleſiarum Oeconomi rationes [39] reddant earum [40], quæ ab illis relictæ ſunt, rerum: idque ſanctiſſimis eccleſiis proficere, quod ex hac noſtra lege eis debetur.

§. 5. Et ipſos quidem œconomos cum judicio & diligenti diſcuſſione creari præcipimus: ſcientibus ipſis, quod ſingulis [41] annis rationem referent ſanctiſſimo [42] Epiſcopo ſuæ adminiſtrationis: & quacumque in re videbuntur res eccleſiaſticas minuiſſe, vel læſiſſe, vel proprium quæſtum quæſiſſe, hoc eccleſiaſticis rebus reſtituent. Itaque ſi quidem ſuperſtites iſtiusmodi rationes ſubierint, fiant quæ ſupra dicta ſunt: ſi vero non redditis rationibus defuncti fuerint: tunc ipſorum heredes [43] ſubjiciantur tali diſcuſſioni, & conveniantur pro reſtitutione omnium, quæ ex ea cauſa debere illos conſtiterit. §. 6. Neceſſarium quoque eſſe credidimus, etiam ſuper his aliquid definire, qui curam ſuſceperunt ſuſcepturive ſunt venerabilium xenonum, & noſocomiorum, & ptochiorum, & orphanotrophiorum, & brephotrophiorum: nam [44] & ipſis omnem licentiam auferimus, de adquiſitis rebus poſt ſuſceptas hujusmodi curationes vel per teſtamentum vel per alium quemlibet modum, vel machinationem quicquam in alias [45] transferendi perſonas: exceptis quæ prius habuerant, vel poſtea a parentibus vel theiis, vel fratribus ad ipſos pervenerunt. Omnia enim quæcumque ad ſancta pertinent loca, vel quæ ad ipſorum præpoſitos poſt ſuſceptam hujusmodi curam pervenerunt, vel perventura ſunt, ad [46] ipſa venerabilia pertinebunt loca: eaque pie in eos diſtribui [47] & erogari volumus, qui in illis locis ſunt, vel curantur. Manifeſtum enim eſt: quod quisquis derelinquit vel donat, ſive in ſcriptis ſive ſine ſcriptis xenodocho, vel noſocomo, vel ptochotropho, vel orphanotropho, idcirco dat, ut pie per ipſum diſpenſetur: ut qui multam [48] de eorum pietate præſumptionem & occaſionem habeat, qui iis locis præfecti ſunt: neque vero juſtum eſt, ipſum ea, quæ ſub prætextu [49] eorum, quæ ſub ejus cura ſunt, accipit, non in ipſos vel pro ipſis impendere, ſed in propriam perſo-

1 Interpretatio Contii. 2 *l.* 2. J. *de evict.* 3 Nec enim ab aliis coguntur ipſi, *l.* 2. S. *h. t.* 4 Anathematiſmum diſtinguit ab excommunicatione recte: Eſt enim plus anathemate percelli, quam nuda communione privari. 5 Ex nomocanone 1. *c.* 20. 6 Interpretatio Contii. 7 Abbates in Epiſcoporum poteſtate conſiſtunt: & ſi quid extra legem fecerint, ab ipſis corriguntur, *can. abbates.* 16. *can. monaſteria.* 17. *cauſ.* 18. *qu.* 2. 8 Monachi Abbatibus omni obedientia, & devotione ſubjici debent. *d. can. abbat.* 9 Beneficiorum multitudo jure civili prohibita, *ut hic.* & jure Canonico, *c. cum in cunctis.* §. *cum vero. de elect. cap. poſt electionem. de conceſſione prabendæ:* vide *titulum de prabendis diſt.* 89. *c. ſingula*, id eſt, niſi forte ea ſit doctorum penuria, ut unum pluribus eccleſiis, quam ſingulos ſingulis præfici magis expediat. 70. *diſt. c. ſanctorum.* Quin inventæ ſunt beneficiorum conjunctiones ſeu uniones, ob deſertas civitates, deminutos reditus, & ſimilia. *l.* 36. *ſupr. h. t. c. & temporis.* 48. *c. poſtquam.* 49. 16. *q.* 1. *c. quia monaſterium.* 2. *de religioſis domibus. c.* Ream *te.* 4. *de ætate & qualitate.* (Hujusmodi magiſtratuum conjunctiones multæ apud Juſtinianum, *Novell.* 8. 24. 25. 26. 27. 28. 29. ſic populus Albæ, & Romæ in unum coiit. *Livius* 1. *Ovid.* 6. *Faſtor.*) uniones autem iſtæ fiunt varie: uno modo ut plane unum beneficium ſit, unus Epiſcopus, unaque Eccleſia, *Nov.* 28. *in pr.* altero, ut una ſit ſuperior & principalis, alia inferior & acceſſoria, cui ideo vicarius certus conſtituitur, miniſterii ſacri obeundi cauſa, *cap. extirpandæ.* 30. §. *qui vero. de prabend.* Tertio, ut neutra ſubjiciatur alteri, ſed ambabus ſuum titulum, & gradum retinentibus idem miniſter præficiatur, *c. Novit ill.* 7. *de offic. & poteſt. jud. del. ne Sede vacante. c. & temporis.* 48. 16. *quæſt.* 1. 10 Id in civilibus quoque magiſtratibus conſtitutum: *l. ult. in pr.* J. *de adſeſſ. & domeſt. l.* 5. *in pr.* J. *qui militare*, adde *l. lecta.* 40. *ff. de reb. cred.* 11 Hic verſiculus hodie non eſt in uſu. Solent enim diſpenſationes ad duo, tria, plurave beneficia obtineri. *cap. de multa.* 28. *de prabendis.* Recte. Duar. 8. *de benef.* 4. non minus, inquit, monſtruoſi videntur, qui tot perſonas in eccleſia ſuſtinent, quam Briareus ille, qui manus centum habuit, ut eſt in fabulis: aut Geryon, quem trium corporum fuiſſe perhibent. *Goth.* Beneficiorum multitudo prohibita hic. Adde *c. cum in cunctis.* §. *non vero. de elect. cap. poſt electionem de conceſſ. prabend.* Excipe caſum 70. *diſtinct. cap. ſanctorum.* uniones tamen ex cauſa permittuntur. *Anſ.* 12 *l.* 23. *in verbo repetita promulgat.* J. *de teſtament.* 13 Pro tribunali. Cujac. *ad l.* 7. *in verbo, ſi paciſcar. fol.* 113. *ff. de pact.* 14 De quib. *l.* 33. §. 2. S. *h. t.* 15 Turpe eſt defenſori eccleſiæ, affectare munus inſinuandi teſtamenti. 16 Apud magiſtrum cenſus teſtamenta inſinuari ſolita. adde *l.* 23. J. *de teſtam.* 17 Opprobrium, adde *l.* 17. S. *h. t.* 18 Volunt tamen Canones ſacerdotem peritum eſſe ſecularium negotiorum. vide *diſt.* 39. 19 Reponendum Juſtino. 20 Interpretatio Contii. 21 Ἀχράντου. 22 Græci ἀνεπιλήπτους hic: & 1. *ad Timoth.* 3. *verſ.* 2. ſic Paul. *ad Titum* 1. *verſ.* 7. δεῖ τὸν ἐπίσκοπον εἶναι ὡς Θεοῦ οἰκονόμον. 23 Nota munus Epiſcopi: & ita Petrus *Act.* 6. *verſ.* 4. ἡμεῖς δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου προσκαρτερήσομεν. adde *l.* 34. J. *de epiſc. aud. Novell.* 133. *cap.* 5. 24 Hinc illud Leonis: Nulla ratio eſt ut inter Epiſc. habeantur, qui nec a clericis ſunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a provincialibus epiſcopis cum metropolitani judicio conſecrati. vide 62. *diſt. can. nulla ratio.* 1. *diſt.* 63. & Apoſtoli in eligendis diaconis advocata multitudine diſcipulorum, Diſpicite, inquiunt, ex vobis, viros ſeptem, quos præficiamus, placuit hæc oratio toti præſenti multitudini. *Act.* 6. *verſ.* 2. 3. 4. 5. Goth. Imperator Henricus V. jus eligendi Epiſcopos & Abbates ad Clericos & religioſos tranſtulit. *Anſ.* 25 *Novell.* 123. *cap.* 1. §. 1. Cur non duabus? *ut Act.* 1. *v.* 23. 26 1. *ad Tim.* 3. *v.* 7. 27 Sic inter cætera Paulus ait, non oportere Epiſcopum eſſe αἰσχροκερδῆ ſed ἀφιλάργυρον 1. *ad Tim.* 3. *verſ.* 3. 28 *l.* 48. J. *h. t.* Imo quibus liberi ſint. 1. *ad Tim.* 3. *v.* 4. & *ad Tit.* 1. *verſ.* 6. adde *Nov. Leonis* 2. & 3. 29 Quas Φροντίδας Græci, Paulus ἀνάγκην. 1. *Corinth.* 7. *verſ.* 26. & *princ. verſ.* 32. volo vos eſſe ἀμερίμνους. *huc refer verſ.* 33. 34. 30 Vide *Novell. Leonis* 3. quos tamen poſſumus ἔχειν ἐν ὑποταγῇ μετὰ πάσης σεμνότητος. 1. *ad Timoth.* 3. *verſ.* 4. poſſunt etiam iidem eſſe fideles, *ad Tit.* 1. *verſ.* 6. 31 Vide *Leon. Nov.* 2. 3. 32 Περίνοιαν. 33 Vide *Novell.* 131. *c.* 13. 34 Epiſcopi poſſunt de propriis bonis teſtari. 35 Ad quartum gradum. *dicto cap.* 13. *in medio.* 36 Adquiſita per Epiſcopum, eo mortuo deferuntur ad eccleſiam: nec in his teſtari poteſt. 37 Nota decidendi rationem, perſonæ extraneæ ſi quid donant aut legant epiſcopo, ejus ſacerdotium potius ſpectant, quam perſonam. 38 Vide quæ ſcripſi *ad Nov.* 38. *in fin.* 39 Oeconomi rationibus reddendis obnoxii. 40 Oeconomi inter cætera munus fuit mortuo Epiſcopo res defuncti Epiſcopi cogere, & earum rationes reddere. 41 Oeconomus Eccleſiæ ſingulis annis rationem reddebat. 42 Oeconomus Epiſcopo rationes reddere tenetur. 43 Rationibus reddendis obnoxius, ſi eas non reddiderit, onus earum reddendarum ad heredes tranſmittit. v. *l.* 12. J. *arb. tut.* 44 Piorum locorum adminiſtratores adquiſita poſt ſuſceptam hujusmodi adminiſtrationem, ſive teſtamento, ſive alio modo in alium transferre aut donare alii non poſſunt, ſed ea loco pio, quem adminiſtrant, relinquere coguntur, niſi ea habuerint a parentibus, patruis, vel fratribus. 45 Præpoſiti locorum religioſorum, de adquiſitis teſtari non poſſunt. 46 Loca religioſa in adquiſitis ſuccedunt præpoſito. 47 Donantis pio loco mens eſt ea, ut relicta pie diſpenſentur. 48 Præſumptio maxima juſtæ adminiſtrationis ſumenda eſt pro eo, qui pii loci adminiſtrationi præfectus eſt. 49 Quod prætextu alicujus accipitur in ejus utilitatem verti debet.

nam

nam auferre, & proprio [1] lucro applicare timore Dei contempto: Quis enim tali curæ præpoſitum non exiſtimet idcirco eam ſuſcepiſſe, ut non ſolum quæ extrinſecus ad eum pervenient, ſed etiam omnia, quæ habere eum contigerit, in eam rem impendat? §. 7. Amplius id quoque jubemus, ut quæcunque poſt neceſſariam erogationem in eos, qui eorum curæ commiſſi ſunt, & debitam [2] curationem rerum & ædificiorum ſupereſſe contigerit, ea ad redituum comparationem proficiant: undique enim noſter ſcopus noſtraque intentio eſt, ad amplificationem & augmentum adducere res ad pios uſus ſegregatas: ſic enim quisquis pro ſua anima quidquam facere volet, promptius erogabit; ſi [3] crediderit, ea quæ ab ipſo data fuerint, pie adminiſtranda eſſe. §. 8. Si autem contigerit aliquem ab adminiſtratione ſua ceſſare, quam acceperat: ſancimus, eum qui in ejus loco conſtitutus eſt, cum timore Domini rationum redditioni ſubjici geſtæ ſub eo adminiſtrationis, ſicut divina noſtra lege continetur: ſciente & eo, qui poſt ipſum conſtitutus eſt, quod Domino Deo pro his rationem reddet. §. 9. Præterea ſancimus, (quemadmodum & divinis [4] canonibus definitum eſt) ne quis epiſcopus aut chorepiſcopus [5], aut [6] viſitator [7], ſive circuitor [8] aut presbyter, aut alius cujuſcunque dignitatis clericus per largitionem ordinetur. Sed nec œconomus, nec eccleſiecdicus [9], nec xenodochus, nec noſocomus, nec ptochotrophus, nec orphanotrophus, nec brephotrophus, nec quisquis ptochio [10] præficiendus eſt, per talem fiat largitionem: ſed per judicium & probationem eorum qui in illis locis ſunt, Deo amantiſſimorum epiſcoporum. Si vero quis inventus fuerit occaſione prædictarum ordinationum & adminiſtrationum aliquid dediſſe, vel accepiſſe, ſive epiſcopus ſit, ſive clericus: & eum qui præbuit, & [11] eum qui accepit, extra ſacerdotium & clerum fieri jubemus: ut poſt hæc Domini Dei ſubjaceant condemnationi. Si autem quis propter præfecturam dediſſe [12] quid compertus fuerit, eum qui ita præfectus factus fuerit, extra clerum eſſe jubemus: ſi vero œconomus vel eccleſiecdicus [13] ſeu defenſor vel chorepiſcopus, id eſt, vel periodeuta [14], viſitator vel xenodochus, vel noſocomus, vel ptochotrophus, vel orphanotrophus vel ptochio præpoſitus comperietur præbuiſſe quid, ut ſibi cura illa committeretur, & hunc removeri ab hujusmodi cura, jubemus.

§. 10. Præterea ſancimus, ut omnes clerici per ſingulas eccleſias conſtituti, per ſeipſos pſallant [15] nocturna [16], & matutina, & veſpertina, ne ex ſola eccleſiaſticarum rerum conſumptione clerici appareant, nomen [17] quidem habentes clericorum, rem autem non implentes clerici circa liturgiam Domini Dei: Turpe enim eſt, pro ipſis ſcriptos, neceſſitate ipſis inducta pſallere. Si enim multi laicorum, ut ſuæ animæ conſulant, ad ſanctiſſimas eccleſias confluentes ſtudioſi circa pſalmodiam oſtenduntur, quomodo indecens non fuerit clericos ad id ordinatos non implere ſuum munus? Quapropter omnimodo clericos pſallere jubemus, & ipſos inquiri a Deo amantiſſimis pro tempore epiſcopis, & duobus presbyteris [18] in ſingulis eccleſiis, & ab eo [19], qui vocatur archos vel exarchos [20], & ab ecdico, ſive defenſore cujusque ſanctiſſimæ eccleſiæ: & eos qui inventi non fuerint inculpate in liturgiis perſeverantes, extra clerum conſtitui. Nam qui conſtituerunt, vel fundarunt ſanctiſſimas eccleſias pro ſua ſalute & communis reipublicæ: reliquerunt illis ſubſtantias, ut per eas debeant ſacræ liturgiæ fieri, & ut in illis a miniſtrantibus piis clericis Deus colatur. † Licentiam autem concedimus omni [21] perſonæ, quæ quid horum prætermiſſum eſſe cognoverit, ea denunciare & publicare.

§. 11. Ea vero, quæ a nobis ſancita ſunt, fini tradi, & ad effectum perduci cum Dei benignitate jubemus: eos vero, qui in ſuſpicionem venerint, aliquid horum auſu temerario prætermiſiſſe, primum [22] quidem ex Domini Dei judicio periculum, ac deinde poſitas in hac lege pœnas ſuſtinere. Dat. Kal. Mart. CP. DN. *Juſt.* P. P. A. II. Conſ. 528.

Præfatio. 1. *De Epiſcopis Conſtantinopolim proficiſcentibus.* 2. *Sanctio.* 3. *Epilogus.*

43. [23] Idem A. Epiphanio Archiepiſcopo Conſtantinopolitano & Patriarchæ.

Omnem ſemper adhibentes providentiam circa ſanctiſſimas eccleſias [24], per quas & noſtrum imperium ſuſtineri, & communes res clementiſſimi Dei gratia muniri credidimus, necnon & noſtras, & cæterorum omnium animas ſtudentes ſalvari, & eam ob rem ſolliciti aſſidue, ne commoda ſanctiſſimarum eccleſiarum, in quacunque civitate ſint conſtitutæ, aliqua ratione minuantur: neve quæ in ipſis fiunt, divinæ liturgiæ [25] ex Deo amantiſſimorum ſacerdotum abſentia impediantur, aut non convenienter curentur: ac ne etiam ſanctiſſimarum eccleſiarum conſumantur res, tam propter itinerum, quam etiam commeantium huc ſacerdotum & comitantium clericorum impenſas, unde ſæpe & ſub fœnore accipiendi neceſſitas emergit, & ex ea re onus ad ipſas ſanctiſſimas eccleſias venit: ſimul etiam, ne eccleſiaſticarum rerum non convenienter procedat adminiſtratio per abſentiæ Deo amantiſſimorum epiſcoporum tempus, his ad tuam beatitudinem divinis apicibus uti oportere exiſtimavimus. §. 1. Per quos ipſi jubemus, fieri omnibus manifeſtum, per ſingulas Metropoles uniuscujusque provinciæ ipſi ſubjectis ſanctiſſimis ſacerdotibus; quoniam non decet aliquem ipſorum, aut eorum, qui in aliis provinciarum civitatibus ſub metropolitano ordinati ſunt, epiſcoporum, ſecundum propriam voluntatem abſque divina noſtra ſpeciali juſſione [26], relinquere [27] quidem gubernatam a ſe ſanctiſſimam eccleſiam, in hanc vero felicem commeare civitatem, qualiscunque emergat res: ſed mittere oportere huc unum, aut duos ex ſibi ſubjecto pio clero: & facere manifeſta noſtræ pietati ea, quibus opus habent aut per ſe ipſos, aut per intermediam tuam beatitudinem: ſicque perfrui juſta & compendiaria noſtra ope: ſi enim quippiam eorum, quæ ad nos relata fuerunt, tale nobis viſum fuerit, ut indigeat ipſorum Deo amantiſſimorum ſacerdotum præſentia, confeſtim tum proficiſci jubemus ipſos: abſque vero tali divina juſſione, neminem proficiſci concedimus. §. 2. Sciente horum transgreſſore & recte ac pie introductam a nobis pro ſanctiſſimarum eccleſiarum honore obſervantiam prætereunte, quod non parvam indignationem experietur: ſed & ſub excommunicatione fiet, ſi quidem Metropolites ſit a tua beatitudine: ſi vero civitatis ſit epiſcopus, quæ Metropolitæ ſubjecta ſit, ab ipſo Metropolita: Pecuniariam namque pœnam definire contra contemnentes divinam noſtram diſpoſitionem non neceſſarium eſſe putavimus, ne [28] inde ad ſanctiſſimas eccleſias, quod inde evenerit damni, redundet: quarum res ab omni deminutione liberas manere cupimus. §. 3. Hæc igitur ad ſingulorum notitiam ſub ipſa ordinatorum Deo amantiſſimorum Metropolitanorum Epiſcoporum perferre tua ſanctitas ſtudeat, & ab unoquoque miſſas reſponſiones tam per Metropolitas, quam per ipſarum reliquarum provinciæ civitatum Deo amantiſſimos epiſcopos de his, quæ hac de re didicerint, ad noſtram religionem referre. Dat. 10. Kal. Mart. CP. DN. JUSTINIANO P. P. A. II. COS. 528.

De monachis, & monaſtriis ſeparandis.

44. [29] Idem A. Menæ P. P.

Sanctiſſimarum eccleſiarum, & piiſſimorum monaſteriorum decori conſulentes, interdicimus omnibus habitantibus monaſteria converſari cum [30] mulieribus monaſtriis, aut occaſionem aliquam excogitare, qua communicationem aliquam cum ipſis habeant, (hoc enim juſtam ſuſpicionem introducit, aſſidue, aut cum voluerint cum ipſis congrediendi) ſed ita ſegregatos eſſe, ut nullam [31] participationem ad invicem ob quamcunque cauſam habeant ipſi, neque excogitari aliquam occaſionem, vel illis, vel his mutuæ inter ſe commorationis: ſed ſoli per ſe homines in quolibet monaſterio degant, a vicinis ſibi per quamcunque cauſam monaſtriis ſegregati: Solæ item per ſe mulieres non commiſtæ viris: ut omnis ſuſpicio indecoræ [32] converſationis penitus tollatur [33]. Sed ſi viri fuerint plures, oportet providentia ſingularum civitatum Epiſcoporum fœminas in alium convenientem locum transferri, & dari monaſterium ipſis, in quo oporteat ipſas in poſterum apud ſe ipſas honeſte converſari: ſin plures inveniantur fœminæ, aut etiam pari numero: viros quidem transferri, fœminas autem in monaſterio manere, ita ut res ipſius monaſterii mobiles & immobiles, & ſe moventes hi, qui exeunt, cum his, qui manent, pro rata dividant. Neceſſariis autem reſponſis [34] apud ſe degentium ſeparatim mulierum, unum ſenem [35] a Deo amantiſſimo Epiſcopo civitatis ſegregari: ad divinas vero peragendas liturgias, & ſancta [36] communione participandas unum presbyterum, & unum diaconum honeſtæ vitæ dari, qui hæc ſola ſupradicta agere debeant, non etiam converſci & converſari, aut cohabitare cum ipſis. His enim ſervatis, & ipſis felix vita erit, qui ſolitariam vitam elegerint, & communis noſtræ reipublicæ res paratiorem conſequentur a Deo clementiſſimo opem. Quæ igitur ſuper communibus rebus, & nunc recte habere exiſtimavimus, hujusmodi ſunt. Sed & credidimus non parvam hinc viſum iri additam eſſe his ex divina noſtra conſtitutione utilitatem. §. 1. Sed & obſervatione & cautela diligenti opus eſt, ne ullo modo prætereantur hæc: Quod non aliter continget, quam ſi Deo amantiſſimi cujusque civitatis Epiſcopi [37] inſpiciant diligenter monachorum degentium in monaſteriis ſub ſua cura ordinatis, converſationes: &, ſi quid ſenſerint hujusmodi lapſus, omnibus modis compeſcant tale ipſorum inceptum: & pœnis ſubjiciant eos, qui poſt noſtram prohibitionem adhuc talia perpetrant: & cogant ut eorum converſationes ſint puræ, & ſeparatæ ab omni commercio muliebri. Nam & ipſis Deo amantiſſimis Epiſcopis, ſi hoc recte æſtimare voluerint, perſpicuum eſt, quod ex obſervatione honeſtæ hujus devotiſſimorum monachorum converſationis, & ſi eis contigerit: nihil indecens, aut inhoneſtum accidere: clemens Deus propitius res communes noſtræ reipublicæ ſecundabit. §. 2. Sed ne vel ipſi Deo amantiſſimi Epiſcopi ſupervacuum ducant hoc noſtrum præceptum, noſſe ipſos volumus, quod ſi quis ipſorum manifeſtus ſit, non cum omni diligentia [38] hæc inveſtigare, aut manifeſtum lapſum non ſecundum prædictos modos emendare; obnoxius quidem erit judicio Domini Dei, & nunc in ipſum veniet imperii noſtri indignatio, & circa ipſum periclitabitur ſacerdotium, neque alia majore opus erit indignatione. §. 3. Tua igitur excellentia divinam noſtram hanc legis poſitionem manifeſtam faciat cujuscunque metropoleos Deo amantiſſimis Epiſcopis, & clariſſimis Præſidibus provinciarum: addens & hoc: quod & ipſi, ſi opus ſit, omne ferant [39] auxilium piiſſimis civitatum Epiſcopis ad hujusmodi [lapſus]

1 Qui diſpenſandi facultatem habet, ſeipſum eligere non poteſt, *arg. l.* 4. *ff. de tutor. & curat.* v. Bart. *in l.* 43. *n.* 33. *ff. de vulg.* 2 Reditus eccleſiaſtici in alimenta perſonarum, dein ædificia, poſt hæc in emptionem prædiorum convertuntur, adde *l.* 3. J. *de uſur. pupill.* 3 Eo libentius committitur alicui diſpenſatio, quo fides ejus notior: quo denique ſperatur, res ita relictas juſte ac pie per eum diſpenſatum iri. 4 *Canone* 28. *Apoſt.* 5 Damaſus *in epiſtola Laodicenſi, c.* 57. Zonaras χωρεπίσκοποι οἱ νῦν λεγόμενοι ἔξαρχοι. adde §. 10. J. *h. t.* ruris aut ſuburbii epiſcopi ſub ditione epiſcopi, aut metropolitani: defenſores eccleſiæ, ἄρχοντες; iidem qui & archidiaconi vel archipresbyteri fere ut Leo ait, & ut eſt in ſynodo Neocæſariana, *c.* 14. adde *cap.* 10. *Antiochenæ Synodi*, Baſil. *epiſt. ad Chorepiſcopos*, ὡς συλλειτουργοὶ εἰς τύπον τῶν. Sigebertus, archidiaconi, qui dicuntur chorepiſcopi in antiquis monumentis. Abbas d. Irenæi & Juſti apud Ludunenſes ita appellatur, v. Cuj. *hic.* Datur chorepiſcopus certo vico vel pago ab epiſcopo urbis. v. *c.* 10. *Synodi Antioch. & c.* 13. *Synodi Neocæſarienſis & c.* 13. *Ancyranæ.* Papias regionarios vocat. v. Cujac. *ad l.* 6. *D. de excuſ. tut.* dicti quaſi χωρικοί, id eſt, ruſtici. vide Duaren. 1. *de benef.* 9. Video chorepiſcopos conferri 72. diſcipulis 68. *diſtinct. c. quamvis.* ut merito poſſis dicere a chorepiſcopis cardinales ſuam dignitatem mutuatos. 6 Idem fuiſſe videtur χωρεπίσκοπος & περιοδευτής. 7 Περιοδευτής, de quo dicam J. *h. t.* 8 Μήτε χωρεπίσκοπον, μήτε περιοδευτὴν, *ut* J. *h. t.* 9 Id eſt, Syndicus Monaſterii, vid. *l.* 34. §. 5. J. *de epiſcop. aud. Nov.* 123. *c.* 25. 27. *Nov.* 133. *c.* 4. *Nov.* 153. Anſ. 10 ἢ τὸν ἐπὶ τῆς πτωχείας. Is erat generalis mendicorum curator, diverſus a ptochotropho & œconomo. 11 Dantem pariter & accipientem damnatio Simonis involvit, *can. quos conſtiterit.* 1. *q.* 1. 12 Ambitus Eccleſiaſtici pœna, *l.* 31. S. *h. t.* 13 *Ut ſup. eod.* ἐκκλησιέκδικος, defenſor eccleſiæ. 14 *Ut* S. *h. t.* περιοδευταὶ dicuntur, ἐκ τοῦ περιέρχεσθαι καὶ καταρτίζειν τοὺς πιστούς; ut Zonaras ait, viſitatores *c. non debere diſt.* 80. In locum remotorum Epiſcoporum ſubſtitui ſolent. Joannes in epiſtola ad epiſcopos Galliæ de Contumelioſo epiſcopo, *ne ejus eccleſia deſtituta videatur, in ejus locum viſitatorem dari decernimus.* v. Cuj. *hic*, idem defenſor & adjutor epiſcopi a Papia nulli certo loco deputatus: ſed ubique implens abſentis epiſcopi vicem. De periodeutis, adde quæ ſcripſi, *ad l.* 6. §. 1. *D. de excuſ. tut.* ubi vide *Cujac.* 15 Pſalmodiæ in templis nocturnæ, matutinæ, veſpertinæ. 16 Precum publicarum, aliæ nocturnæ, aliæ matutinæ, aliæ veſpertinæ. 17 Nomine tantum ſunt clerici, qui clericis bona deſtinata adſectantur, eaque conſumunt, per ſe autem munia clericorum non implent: eo nomine indigni privilegio clericorum. *l.* 9. S. *de ſacroſanctis eccleſ. l.* 5. §. 12. *ff. de jure immun.* De pſeudoclericis, v. Duaren. 1. *de ſacris* 17. 18 Καὶ δύο πρωτοπρεσβυτέρων & duobus protopresbyteris, ſeu primis presbyteris. 19 Καὶ τοῦ καλουμένου ἄρχοντος ἤτοι ἐξάρχου, καὶ τοῦ ἐκδίκου ἑκάστης ἁγιωτάτης ἐκκλησίας. 20 Id eſt, chorepiſcopo: de quo dixi §. 9. S. *h. t.* 21 Ut ſit actio quaſi popularis. *l.* 1. *ff. de popular. action.* 22 V. *l.* 2. J. *de rebus creditis.* 23 Interpretatio Contii. 24 Eccleſiæ preces imperia principum ſuſtinent, rempublicam muniunt, & animas omnium ſervare ſtudent. 25 Liturgiæ non impediendæ per abſentiam Epiſcoporum. 26 *Novell.* 6. *cap.* 2. 3. *Novell.* 67. *c.* 3. *Novell.* 123. *c.* 9. 27 Huc refer illud Syneſii, χρῆναι τούτοις, ὅσοι τὰς οἰκείας ἐκκλησίας ἀπείπαντο πᾶσαν ἐκκλησίαν ἀπειπᾶσθαι. 28 Pœnam alterius peccato alteri infligi, iniquum eſt. *l. ſancimus.* 22. J. *de pœnis.* 29 Contii interpretatio. 30 *Nov.* 123. *c.* 29. & 36. & *l.* 19. S. *h. t.* 31 Adde *Nov.* 133. *c.* 3. 32 V. *l.* 19. S. *h. t.* 33 Quantumvis eos adoptaverint ſibi fratrum cognatorum, aut dilectorum loco. 34 Apocriſiarios intelligit, *Nov.* 123. *c.* 36. 35 Suſpicionis enim minus eſt in ſene, quam in juvene: & eo magis, ſi non modo ſenex ſit, ſed etiam eunuchus, quod ſuadet *Nov.* 133. *c.* 5. 36 Sancta communio liturgiam ſequi ſolet, & ſic ſolent communicare, qui liturgiæ adſunt. 37 *Novell.* 133. *c.* 4. 38 Epiſcopo indigna eſt negligentia. vid. 84. *diſt.* 39 Seculari manu epiſcopi ſunt juvandi. Sic alibi. Judices manu militari utuntur in exequendis ſententiis. *l.* 68. *ff. de rei vind.*

 cœc-

coërcenda, quæ tolli juſſimus : & ſi qua negligentia eos uſos eſſe invenerint, manifeſtam eam nobis proprio facient judicio, ut utique omnes cognoſcant, & quænam ab ipſis ſervari debeant, & ex negligentia [1] definitam [2] pœnam. Curent autem & Deo amantiſſimi Metropolitæ, etiam alios reverendiſſimos civitatum Epiſcopos ejusdem provinciæ facere manifeſtam divinam hanc noſtram legem, & denunciare omnibus, ut vigili ſtudio hæc cuſtodiant, verentes definitam pœnam. §. 4. Ac ne protrahatur plena obſervatio divinæ noſtræ hujus legis [3] : atque etiam ne ipſi reverendiſſimi monachi, qui in præſentia converſantur cum monaſteriis, parvum putent tempus ſibi dari ad debitam, & injunctam ipſis ſeparationem faciendam : annale [4] ipſis definimus decertum de eo [die] quo manifeſta divina noſtra lex hæc facta fuerit : ita ut poſt anni curriculum, ſi apparet ea, quæ ad convictum attinent, in eodem manere ſchemate, locus ſit omnimodo inferis divinæ huic noſtræ legi pœnis. Datum 15. Kal. Febr. CP. DECIO [4] V. C. COS. 529.

De filiis presbyterorum, diaconorum, ſubdiaconorum.

45. [5] Idem A. Juliano P. P.

SAcris canonibus [6] neque Deo amantiſſimis presbyteris neque reverendiſſimis diaconis, aut ſubdiaconis nuptias contrahere [7] poſt hujusmodi ordinationem permittentibus, ſed ſolis reverendiſſimis pſaltis, & lectoribus id concedentibus, animadvertimus quosdam deſpicientes quidem ſacros canones, pueros autem generantes ex quibusdam mulieribus, quibus conjungi ſecundum ſacerdotalem canonem non poſſunt : Quoniam igitur pœna facinoris hujus in ſola [8] ſacerdotii erat amiſſione : ſacros autem canones non [9] minus, quam leges, valere etiam noſtræ volunt leges : ſancimus obtinere in illis, & quæ ſacris viſa ſunt canonibus, perinde ac ſi civilibus inſcriptum eſſet legibus : & omnes iſtiusmodi homines tam [10] ſacerdotio, quam divino miniſterio, atque etiam dignitate ipſa, quam habent, nudari : Quemadmodum enim ſacris canonibus prohibita ſunt talia, ſic [11] & ſecundum noſtras leges rem ipſam prohiberi : & præter ſupradictam excidendi a miniſterio pœnam, ne [12] legitimos quidem, aut proprios eſſe eos, qui ex hujusmodi inordinata conſtupratione naſcuntur, ſed eam pœnam habere, quæ ex talibus ſeminibus oritur, participari turpitudinem : tales enim eſſe diſponimus, quales eos leges ex inceſtis aut nefariis natos nuptiis definiunt; ita ut neque naturales, aut nothi ſpurii intelligantur : ſed prorſus & undique prohibiti, & ſucceſſionis genitorum indigni : ac nec donationem [13] ab illis capere poſſint, neque per interpoſitas quidem perſonas, ſed omnibus in hos collatis a patribus beneficiis ad ſanctam eccleſiam, ex qua ſunt, qui talia deliquerunt, revertentibus : Quod enim ſacri canones prohibent, id [14] etiam & nos per noſtras abolemus leges [15]. Si vero ſimulata quædam obligatio ſub ſpecie mutui, vel alterius contractus inſtrumenti fiat, quæ obligatum faciat eum, qui hujusmodi conſtuprationis particeps factus eſt, hanc etiam infirmam eſſe volumus : & talium rerum dationem, non ad eam perſonam, in quam concepta ſunt ſcripta, ſed ad ſanctiſſimam eccleſiam pervenire. Data 15. Kal. Nov. CP. LAMP. & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

De relicto ad pias cauſas. 9. *Annali.*

46. [16] Idem A. Juliano P. P.

SAncimus, ſi quis moriens piam fecerit diſpoſitionem vel per inſtitutionis modum, vel per legatum, aut fideicommiſſum, aut mortis cauſa donationem, vel alium quemcunque [modum] legitimum : ſive injunxerit pro tempore Epiſcopo curam agere, ut impleantur, quæ ipſe voluit, ſive & hoc reticuerit, ſive etiam in contrarium prohibuerit : neceſſitatem [17] habere heredes id, quod ordinatum eſt, facere & adimplere omnimodo : Quod ſi id ſponte non fecerint, confeſtim loci Deo amabiles Epiſcopos, curioſos eſſe circa hæc, & poſtulare, ut illi omnia impleant ſecundum voluntatem defuncti. Sed ſi quidem eccleſiæ ædificationem injunxerit teſtator, intra triennium inſtare eos, ut perficiatur : ſi vero xenonis ædificationem, intra unum [18] annum duntaxat id fieri cogere : tanquam ſufficiente tempore hoc conſtituto ad perficienda, quæ placuerunt teſtatoribus : cum ſit poſſibile, & domum conducere, & infirmos illic in lectis ſternere, donec opus ædificationis xenonis ſeu hoſpitalis compleatur : Si vero quædam dare ſimul & una præſtatione in pias cauſas damnati fuerint : confeſtim cogere eos facere, hoc eſt, poſt teſtamenti inſinuationem, & poſt apprehenſam [19] hereditatem, vel legatum ab his qui honorati ſunt. §. 1. Sin autem tranſierit prædictum tempus, ac neque eccleſia, neque hoſpitale ædificatum fuerit, neque hoſpitalis aliquis ſit, qui hoc ordinet : mox ipſos Deo amabiles Epiſcopos [20] exigere ea, quæ pro eo ordinata ſunt, & in id convenienter quæſita, & facere ædificationes ſanctiſſimarum eccleſiarum, & hoſpitalium, & gerontocomiorum [21], aut orphanotrophiorum præparationem, aut ptochotrophiorum [22], aut noſocomiorum conſtructionem, aut captivorum [23] redemptionem, aut aliam quamlibet actionem piam, a teſtatore ordinatam : deſignare etiam ſeu præficere, qui hæc adminiſtrent, xenodochos, vel orphanotrophos, vel brephotrophos [24], gerontocomos, vel ſimpliciter piarum [25] actionum diœcetas [26] & curatores : non amplius valentibus poſt dicti temporis lapſum & dictam ſeriem hiis, qui illa non fecerint, immiſcere ſe prædictarum rerum adminiſtrationi, ſed Deo amabiles Epiſcopos impedire ab illarum rerum adminiſtratione. §. 2. Clariſſimis Præſidibus provinciarum neceſſitatem imponentibus heredibus omnimodo ea perficere : namque & veteribus [27] prædicatum eſt legibus, neceſſitatem imponi implere deficientium voluntates eis, qui habere permittuntur, quæ illi reliquerunt. §. 3. Sed Deo amabiles Epiſcopi, ſi quidem aliquos deſtinaverint hi, qui deceſſerunt, præpoſitos rebus (veluti xenodochos, ptochotrophos, aut noſocomos, aut brephotrophos, aut orphanotrophos, aut gerontocomos, aut paramonarios [28], aut œconomos, aut, ſimpliciter [dicendo,] piarum actionum adminiſtratores) illos quidem permittant habere adminiſtrationem : ipſi vero non adminiſtrent quidem, ſed adminiſtrationes inſpiciant : & recte quidem habentem laudent : In quibus autem aliquid prætergredientem corrigant : peſſima autem adminiſtratione facta etiam eos expellant, & alios inſtituant, qui cogitent & animo concipiant magni Dei timorem, & terribilem [29] ejus judicium, quod ſuper eos ex æquitate futurum eſt. † Si vero neminem deſtinaverint hi qui moriuntur, præſtituerint adminiſtrationi, ſed in heredum poteſtate id poſuerint ; hi autem rem neglexerint : tunc ipſi Deo amabiles Epiſcopi & adminiſtrent, & præficiant ſupraſcriptas perſonas, (ut ptochotrophos, aut noſocomos, & ceteros deinceps) qui tam amandi judicii diem, ad quam illos reſpicientes convenit omnia facere cum ad Deum coordinata mente. §. 4. Supra autem omne tempus quo diſtulerint facere diſpoſita ſcripti heredes, ſi quidem ſuſcepti & fructus [30], & reditus, & omnem legitimam acceſſionem a tempore ejus mortis exigant : ſi vero non [31] inſpecta mora a litis conteſtatione aut conventione, ſed quod habentes fecerint, exigi [32] juxta intellecta (quod dicitur vulgo) mora præceſſiſſe. §. 5. Hoc eodem obtinente [33] & ſi non ab herede, ſed a fideicommiſſario, aut legatario relictum fuerit hujusmodi pium legatum, & illud acceperit is, qui legato honoratus eſt : & mox quidem licentiam eſſe Deo amabilibus Epiſcopis poſcere a talibus perſonis quibusdam rebus honoratas facere diſpoſita. §. 6. Si vero negligentes fuerint locorum Deo amabiles Epiſcopi id agere, forte gratia corrupti a ſcriptis heredibus, vel legatariis, vel fideicommiſſariis : licentia erit, aut Metropolitano provinciæ [35], aut Archiepiſcopo illius diœceſeos, hæc cognoſcenti, inquirere, & cogere, pium opus, aut piam liberalitatem omnimodo impleri : & cuicunque civium idem etiam facere licentia erit : cum ſit enim communis pietatis ratio, communes & populares [36] decet etiam affectiones conſtitui harum rerum executionis : habituro unoquoque licentiam ex noſtra hac lege movere ex [37] *lege condictitia* & poſtulare relicta adimpleri : ſciente, qui hæc neglexerit, Deo amabili Epiſcopo, quod & ipſe, præter imminentes e cœlo pœnas, etiam imperialem motum ſuper hujusmodi contemptu experietur. §. 7. Ut autem adhuc majore metu terreantur heredes morientium, vel harum rerum procurandarum & faciendarum onere gravati ; quominus harum rerum effectum differant ; & hoc ſancimus : ut ſi impetiti a Deo amabilibus Epiſcopis, qui his rebus honorati ſunt, poſtea ceſſaverint, ſeu diſtulerint, ita ut Præſidum exactione opus fuerit, confeſtim non ſolum ipſi ſimplum (quod dicitur) exigantur, ſed omnino duplum [38] ; Si enim apud veteres erant quædam themata, in quibus ex inficiatione [39] dupla condemnationis inducebantur, quomodo utique non etiam hic eos, qui non ſolum ne ſponte fecerint, ſed tempus præterea protraxerint, & poſtremo impetiti a Deo amabilibus Epiſcopis, ac deinde neque ipſis ſtatim parentes, opus habuerint etiam Præſidiali exactione, dupli exactione non convenit caſtigari ? §. 8. Si vero morientes ſuos heredes voluerint quando morituri eſſent ipſi heredes, actionem aliquam implere piam, non autem in ipſorum vita, & hoc cuſtodiri, & non [40] in medio heredes cogi facere quid eorum, quæ teſtator poſt ipſorum mortem voluerit fieri : cum vero morientur ipſi, neceſſitatem habeant omnimodo iſta implere : dilatione autem aliqua ab ipſorum heredibus facta, tunc neceſſe eſt, illa fieri quæ ante diſpoſuimus. §. 9. Si vero aliqua eorum, quæ vocantur *annalia* [41] *legata*, relicta fuerint aut donata clero forte, aut monaſterio, aut aſcetriis, aut diaconiſſis, aut ptochiis, aut xenonibus, aut noſocomiis, aut brephotrophiis, aut ſanctiſſimarum eccleſiarum pauperibus, aut (ſimpliciter) cœtibus quibusdam piis, aut omnino non prohibitis ex plebe collegiis [42] ; velint autem ſecundum aliquod tempus hi, qui tunc reperiuntur, auro accepto ſuper tali actione tranſigere [43] ; non liceat id agere, neque quod factum fuerit, ratum eſto : imo & [44] privationem rerum [45], qui hæc redemit vel tranſegit, ſuſ-

1 Pœna negligentis epiſcopi. 2 §. 2. *ſupr. h. t.* 3 Alias tempus tacite ineſſet huic imperio, *l.* 2. §. 6. *ff. de eo quod cert. loc. l.* 1. *in fin. ff. de cond. & demonſtr. l.* 24. *ff. de oper. libert.* 4 Romæ aliquando unus conſul fuit, ut hic. Aliquando tres, ut in *l.* 1. §. 2. *ff. de offic. quæſt.* aliquando quatuor, ut in *l.* 25. §. 6. *ff. de petit. hered.* Anſ. 5 Interpretatio Contii. 6 De quibus v. *can. Nicenæ Synod. diſt.* 31. 1. *ad Tim.* 3. *verſ.* 2. & 4. & *c.* 4. *verſ.* 1. 2. 3. *ad Tit.* 1. *verſ.* 6. & *canonem* 50. *Apoſtol.* 1. *Cor.* 7. *verſ.* 7. & *c.* 9. *verſ.* 5. 7. Nuptiæ presbyteris, diaconis & ſubdiaconis, poſtquam in eos ordines ſunt recepti, hic adeo interdictæ ſunt : ut contrahentes nuptias hujusmodi miniſterio excidant, liberi ex hujusmodi complexu ſuſcepti, fiant ſpurii. adde *Nov. Leonis* 3. At forte permiſſu epiſcopi id fieri potuit, ut Synodus Ancyrana voluit, *c.* 10. Sed *Novell. Juſtin.* 123. *c.* 14. id vetuit. Rationem v. apud Cujac. *Novell.* 22. *fol.* 383. 8 V. *Nov.* 22. *c.* 42. 9 Hac de re v. *diſt.* 10. 10 *Nov.* 123. *c.* 1. 11 Canonibus ab aliquo actu prohibitus, prohibitus quoque intelligitur legibus : ut ita fiat illatio a canonibus ad leges. 12 Veriſimile eſt id novo jure mutatum eſſe, jubentur enim clerici contrahentes nuptias, ſuis adhærere uxoribus, *Novell.* 22. *c.* 42. 13 Cujac. *conſ.* 2. hinc colligit Legatum a presbytero filiæ ſuæ factum, pro non ſcripto haberi : quaſi incapaci relictum : Idque verius eſſe, ſi eam ex uxore alterius ſuſceperit. Id ita quoque ſentit Hotom. *conſ.* 16. Res ita eſt. Novo jure, (hoc eſt, *Novell.* 89. *c.* 15. & *Nov.* 74. *cap.* 6.) ſpurios ex damnato concubitu ſuſceptos usque adeo a progenitorum fortunis arceri, ut etiam parentes eos alere non teneantur. Jure tamen canonico naturali pietate inſpecta pater tenetur eos alere : quin ipſis relinquere poteſt alimenta aut ad ea usque legatum aliquod, non ulterius. *c. cum haberet.* 5. *extra. de eo, qui duxit in matrim. quam poll. per adult.* Eamque communem eſſe opinionem refert Rolandus a Valle, 1. *conſ.* 74. *n.* 31. & *ſeq.* Idem refert Mich. Graſſus, *lib. ſent.* §. *legatum quæſt.* 6. 14 Leges non dedignantur ſacros canones imitari, *Nov.* 83. *c.* 1. 15. Cur ita ? *collige ex can. conſtitutiones.* 4. *diſt.* 10. 16 Interpretatio Contii. 17 *Novell.* 1. *c.* 1. 18 *Novell.* 1. *c.* 1. §. 1. *ſi quis.* & *cap.* 4. 19 Hereditas, niſi adita, non transmittitur, *l. un.* §. 5. *J. de caducis toll.* 20 Quorum oneri incumbit, perſonis ad id ſpecialiter deputatis deficientibus eo nomine agere, *l.* 25. §. 1. *J. h. t.* 21 *l.* 19. *l.* 22. *J. de ſacroſ. eccleſiis.* 22 A πτωχὸς pauper & τρέφω alo. hujus meminit Imp. in *l.* 23. §. 7. *l.* 35. & *l.* 49. *h. t.* Anſ. 23 Captivorum redemptio pias inter cauſas numeratur, *ut hic*, & *l.* 28. *in pr.* & §. *ult. ſupr. h. t. l. ſi quis pro redemptione.* 36. *infr. de donat.* Quinimo legatum ad liberandos carceratos maleficii cauſa pium dicitur. Bald. *l. quamvis. J. de ſolut.* & *Nov.* 131. *c.* 11. & 12. 24 Brephotrophium eſt locus infantibus expoſititiis educandis deſtinatus, de quo in *l.* 19. *l.* 22. & *l.* 23. *J. de ſacroſanct. eccleſ.* Anſ. 25 Diœceta eſt is qui poſt regem totius regiæ curationem habet. Alexand. ab Alexand. *Genial. dier. lib.* 4. *cap.* 43. vid. *l.* 5. *infr. de Epiſcop. aud.* Anſ. 26 Nota de piarum actionum diœcetis & curatoribus, adde §. 3. *infr. h. t.* 27 Adde. *Nov.* 1. *c.* 1. 28 Παραμοναρίους. Hi erant villici ſive actores poſſeſſionum, ex eorum genere, qui res eccleſiaſticas adminiſtrant : quamvis alias hi videantur appellari ſatellites, adſeclæ, buccellarii. Eſt enim Nicetæ παραμονή, πελεκυφόρος, βάρβαρος. vid. Cujac. *hic.* 29 Si non amore, terrore ſaltem ac metu pœnæ homines a vitio abſtinere debent. Brevis differentia legis & evangelii, amor, & timor. adde Auguſtinum 2. *quæſtionum in Exodum.* 30 *Nov.* 131. *cap.* 12. *in fin.* 31 Hic caſus eſt ſpecialis. *Nov.* 131. *c.* 11. Aliud enim in aliorum legatis, *l.* 23. *ff. de leg.* 1. 32 Mora fit interdum ipſo jure. vid. *l.* 32. *ff. de uſuris.* 33 Et merito : ſunt enim fideicommiſſa legatis exæquata. *l.* 1. *ff. de leg.* 1. 34 Epiſcopi curam gerit Metropolitanus : Metropolitani Archiepiſcopus. 35 De metropolitano & archiepiſcopo vide *diſt.* 21. *c. cleros.* 1. Cæterum hic Epiſcopi, Metropolitani, & Archiepiſcopi rectis verbis diſtinguuntur. Epiſcopi locorum ſeu ſingularum urbium : Metropolitani provinciarum : Archiepiſcopi, diœceſeos totius curam gerebant. 36 *l.* 1. & *ſq. ff. de popularibus action.* 37 Cur ex lege condictitia, collige *ex l. unic. ff. de cond. ex lege.* 38 Piorum legatorum actio, non modo inficiatione duplatur, ſed ex mora. 39 §. 19. §. 23. *in fin. Inſt. de act.* 40 Nec enim juſte agi poteſt ante conditionis eventum, *l.* 5. §. 2. *ff. quando dies legat.* 41 Seu annua. v. *tit. ff. de annuis legatis* : adde *l. ult. infr. h. t.* 42 Collegio prohibito legari non poteſt. Quæ ſint prohibita, v. *l.* 1. *ff. quod cujuscunque univerſ.* & *l.* 1. *ff. de collegiis & corp.* 43 Tranſigere monaſterio de annuo legato non licet. 44 Emptor rei vetitæ alienari, rem emptam reſtituere cogitur : nec datum pretium repetit, quaſi indebitum, *ut hic.* §. *ult. Inſt. de oblig. quæ quaſi ex contractu.* 45 Χρημάτων.

tineat.

tineat. Quandoquidem neceſſe erit : his quidem, qui aliqua parte temporis fuerint, eſſe pecuniarum copiam : his autem, qui futuri ſunt, omnimodam relictorum privationem : Sed nec ipſum *Annaliorum* nomen, neque perpetua defuncti memoria, ob quam & annuum hoc reliquit, conſervabitur, ſed ſtatim extinguetur una cum ipſa relictorum interiens alienatione. Manere igitur perpetuo [1] ipſos obnoxios hujusmodi dationibus ſancimus : adeo ut, ſi qua fiat alienatio, & ipſa irrita ſit : & hi, qui quandoque præerunt piis locis, licentiam habeant perſequi, & exigere ipſa, nulla temporis præſcriptione opponenda ipſis, cum [2] per unumquemque annum talis naſcatur actio. † Quinimo hypothecæ ſubjecta ſint ejus, qui reliquit bona hujusmodi legatorum cauſa : ita ut licentiam habeant, ex ipſis rebus ſatis piis operibus facere, non ſolum pro relictis, ſed & pro fructibus ipſorum, & reditibus, & omni legitima acceſſione : temporali (ut dictum [3] eſt) nulla retinentibus præſcriptione convenire queunte, quantumcunque quis numeraverit tempus : Niſi inter hunc [4] annali legato oneratum, & eum, qui ſecundum ſacros canones, & noſtras leges præſul conſtitutus eſt, iſtiusmodi exactionis factum fuerit pactum, quo placuerit, *Ut reditus pro annuo legato daretur a gravata perſona, ſemper vigens ac perpetuus, & non multis publicis oneribus obnoxius : ſed & acceſſionem habens, omnino quidem non* [5] *minorem quarta parte puri reditus, aut amplius quantum ſcilicet inter eos placuerit :* Si enim tale quiddam in ſcriptis fiat pactum, & datus fuerit talis reditus & receptus in ſcriptis, pactionibus & transactionibus, & id manifeſtum per geſta monumentorum conſtitutum fuerit : ceſſare exactionem annui legati contra eum, qui eo oneratus eſt, ſancimus : eum vero reditum pro legato conſtitui, perpetuo ad id deputatum, & qui alienari a nemine quocunque alienationis modo poſſit : nullo [6] autem horum ſubſecuto, ſubjacere perpetuo (ut antea a nobis dictum eſt) dationi annuorum legatorum eos, qui his gravati ſunt, ſancimus : ut & nomen & memoria defuncti, & ut annui reditus in ipſis operibus perpetuo conſerventur. Dat. 15. Kal. Novemb. *Conſtantinop.* LAMPAD. & ORESTE COSS. 530.

De electione, 1. *Et confirmatione abbatis*, 2. *Et abbatiſſæ*, 3. *Et cæterorum.*

47. [7] Idem A. Juliano P. P.

SAcris [8] noſtris legibus exiſtimavimus oportere & hanc addi ; quæ ex virtute, non [9] autem ex temporibus, religioſas Abbatias [10], ſeu præfecturas tribuit : ita videlicet, ut in piis monaſteriis, aut aſceteriis, non omnimodo mortuo abbate, vel abbatiſſa, is, vel ea, qui, vel quæ tempore antiquior eſt, aut ſecundus ſecundave deinceps eligatur. Conſentimus enim naturæ, neque omnes ſimiliter bonos, neque omnes in æquo facienti malos : ſed quem utique & vita [11] optima, & mores honeſti, & circa pium exercitium conſtantia, & commune reliquorum monachorum complementum, aut maxima eorum pars idoneum ad hoc putaverit, & ſacris evangeliis propoſitis elegerit, ad præfecturam vocari ; ita ut, ſi quidem primus poſt defunctum utilis ſit, & monachis præeſſe dignus, ille aliis præferatur : ſi vero qui poſt illum eſt, ſimiliter in ipſum feratur futuri præfecti calculus : ſi vero nullus horum dignus videatur ; confeſtim is [12], qui ex omnibus idoneus erit, cujuscunque gradus ſit, præordinetur Abbas, qui ſit videl. & vitæ honeſtæ, & honeſtæ converſationis, & qui ſervare creditos ſibi poſſit ; cum ſit conveniens, omnem principatum, & omnem hominum præfecturam, non ex temporibus, neque [13] ex ſortibus [14], neque ex fortuitis circumſtantiis, ſed ex electione, & ex eo, quod præſtantius eſt, fieri ; & bonum apud omnes teſtimonium & probationem eſſe, fieri ordinationi ordinem. §. 1. Manifeſta autem hæc fieri Deo amabili epiſcopo : ut, cum is didicerit eum qui electus eſt, & hoc ſe recte habere adprobaverit ; conſentientem electoribus calculum ferat, & promoveat ipſum ad hujusmodi Abbatis ordinem. Adprobare vero oportet hanc ipſam electionem, & pro tempore Patriarcham, & qui in his locis ſunt, Deo amabiles Epiſcopos, habentes & ipſos judicium Dei, & futuram condemnationem metuentes, ſi non per electionem, ſed ad aliquam paſſionem [15] ſeu affectionem reſpicientes humanam, promotionem fecerint : habituris ipſis, & in hac vita, & in futura a Deo immiſſam pœnam : videlicet ipſorum negligentia animabus plurimis peccatorum cauſas præbente. §. 2. His omnibus & in reverendiſſimis fœminis aut virginibus, quæ piis monaſteriis præſunt, obtinentibus.

§. 3. Reliquo omni ſacro ordine, ſacro miniſterio ſecundum ſuos gradus præſidente, & nulla in re per præſentem noſtram innovato legem. Dat. 15. Kalend. Decemb. CP. LAMP. & ORESTE COSS. 530.

De electione epiſcopi.

48. [16] Idem A. Joanni P. P.

SAncimus, neminem ad Epiſcopatum ordinari, niſi & in aliis rebus utilis & optimus ſit, & neque mulieri cohabitet, neque [17] liberorum exiſtat pater, ſed loco uxoris, adhæreat quidem & continens ſit circa ſanctiſſimam eccleſiam : loco [18] vero liberorum, omnem Chriſtianum, & orthodoxum habeat populum : cognoſcens, ſic ab initio ea, quæ de ſucceſſione Deo amabilium Epiſcoporum ſunt, nos diſpoſuiſſe, & cum ejusmodi cogitatione proceſſiſſe noſtram legem : & eos qui præter hæc quid faciunt, aut fecerunt, omni Epiſcopatu indignos eſſe : qui enim, poſt hanc noſtram conſtitutionem, facere aliquos Epiſcopos præter ejus vim, aut fieri auſi fuerint, neque in Epiſcopis numerabuntur, neque manebunt in ſacris, ſed expulſi ab his, aliis dabunt locum ordinationis, cum in primis diligentiſſimæ, tum etiam Deo per omnia placentis. Dat. 4. Kalend. Sept. CP. poſt CONSULAT. LAMPAD. & OREST. 531.

De inſtitutione captivorum, aut pauperum.

49. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

SI quis ad [19] declinandam [20] legem Falcidiam, cum deſiderat totam ſuam ſubſtantiam pro redemptione captivorum [21] relinquere, eos ipſos captivos [22] ſcripſerit heredes [23] : ne videatur, quaſi incertis [24] perſonis heredibus inſtitutis, judicium ſuum oppugnandum reliquiſſe : ſancimus, ejusmodi & talem inſtitutionem pietatis [25] intuitu valere, & non eſſe reſpuendam. §. 1. Sed & ſi pauperes [26] quidem ſcripſerit heredes, & [27] non inveniatur certum ptochotrophium, vel certæ eccleſiæ pauperes, de quibus teſtator cogitaverit, ſed ſub incerto vocabulo *pauperes* fuerint heredes inſtituti, ſimili modo & hujusmodi inſtitutionem valere decernimus. §. 2. Et ſi quidem captivos ſcripſerit heredes, civitatis, in [28] qua teſtator larem [29] fovere ac degere noſcitur, Epiſcopus & œconomus hereditatem ſuſcipiant : & omnimodo in redemptionem captivorum procedat hereditas, ſive per annuos reditus, ſive per venditionem mobilium [30] ſeu ſe moventium rerum fit : nullo penitus ex hoc lucro, vel Oeconomo, vel Epiſcopo, vel ſacroſanctæ eccleſiæ relinquendo. Si enim propter hoc a [31] ſpeciali herede receſſum eſt, ut non Falcidiæ ratio inducatur, quomodo ferendum eſt, hoc, quod in ſacrum [32] venerit, per Falcidiam vel aliam occaſionem minui ? §. 3. Ubi autem indiſtincte pauperes ſcripti ſunt heredes : ibi xenonem ejus [33] civitatis omnimodo hereditatem nanciſci, & per [34] Xenodochum [35] in ægrotantes fieri patrimonii diſtributionem, ſecundum quod in captivis conſtituimus, vel [36] per redituum annalium erogationem, vel per venditionem rerum mobilium, vel ſeſe moventium, ut ex his res immobiles comparentur, & annuus victus ægrotantibus accedat : Quis [37] enim pauperior eſt hominibus, qui & inopia tenti ſunt, & in xenone repoſiti, & ſuis corporibus laborantes, neceſſarium victum ſibi non poſſunt afferre ? §. 4. Licentia omnino danda & in priore, & in ſecunda ſpecie, & actionem movere, & debita exigere : ut in captivos, vel in ægrotantes conſumantur. Si enim heredum [38] eis & jus [39], & nomen dedimus, ſine [40] Falcidiæ tamen legis emolumento : neceſſe eſt eos debita exigere, & creditoribus reſpondere. §. 5. Sin autem ampliores in civitate xenones vel ptochotrophia ſint, ne incerta videatur pecuniarum datio ; tunc ei xenoni vel ptochotrophio, qui pauperior [41] eſſe dignoſcitur, easdem res vel pecunias adſignari cenſemus : hoc videlicet diſcutiendo a viro reverendiſſimo locorum Antiſtite, & ſub eo conſtitutis clericis.

§. 6. Sin autem nullus xenon in civitate inveniatur : tunc, ſecundum de captivis ſanctionem, pro tempore Oeconomus ſacroſanctæ eccleſiæ vel Epiſcopus hereditatem accipiat : & ſine [42] Falcidiæ ratione pauperibus, qui in civitate ſunt, vel penitus mendicantibus, vel alia ſuſtentatione egentibus, eædem pecuniæ diſtribuantur. §. 7. Hæc tamen omnia locum habere ſancimus, quando non certi xenonis vel certi ptochotrophii, vel certæ eccleſiæ nominatio a teſtatore ſubſecuta eſt, ſed incertus eſt ejus ſenſus. † Sin autem in perſonam certam venerabilemve certam domum reſpexerit, ei tantummodo hereditatem vel legatum competere ſancimus, nulla [43] Falcidia nec in hac parte intercedente. §. 8. In omnibus autem hujusmodi caſibus cœleſtes iracundias ſacroſanctarum rerum adminiſtratores expectent, ſi qualecumque lucrum ex hujusmodi gubernationibus ſibimet acquiſierint, vel ſi hoc committi ab alio conſenſerint, & non graviſſima pœna, & interminatione, quod perperam factum eſt, ſtudeant corrigere.

1 Διηνεκῶς, hoc verbum intelligendum eſt pro ſubjecta quæſtione, v. *l.* 1. *ff. pro ſocio.* Cur perpetuo ? collige ex *l.* 20. *ff. de annuis & menſtr.* 2 Quarum rerum actio ſingulis annis naſcitur, earum perpetua petitio eſt, nulla præſcriptio. 3 §. 4. *ſupr. h. t.* 4 Atqui Eccleſiæ conceſſa eſt tantum permutatio, vel cum alia Eccleſia, *Nov.* 54. *c.* 2. vel cum principe, *Nov.* 7. *c.* 2. 5 Adde *l.* 8. *in fin. ff. de transact.* 6 Forma juris omiſſa actum vitiat. 7 Interpretatio Contii. 8 Hujus legis fit mentio in Novellis. 9 Abbatiæ non pro ætate, ſed merito vitæ conferendæ ſunt. Sic non ætas, ſed vita ſeniorem facit. Hinc illud, Laqueus juvenum omnes vos : & rurſus, Maledictus puer centum annorum 2. *quæſt.* 7. *c. Paulus dicit : Seniorem non increpaveris.* 28. 10 Nota formam eligendi Abbatis. 11 Dignitas, aut nomen facit epiſcopum, ſed vita : non epiſcopi nomen, ſed vita reverentiam meretur. *c. plerumque.* 27. *in fin. c. non omnes.* 20. *c. non omnis.* 30. *cauſ.* 2. *quæſt.* 7. 12 Hinc illa puerorum nænia, apud Horatium 1. Rex eris, ajunt. Si recte facies. Hinc & illud Actii apud Varronem 4. *de lingua :* Qui recte conſulat, conſul fiat. 13 Atqui ſorte Matthias electus eſt, *Act.* 1. *verſ. ult.* Certe, quædam ſortibus fiunt, de quibus dixi *ad l.* 3. *J. comm. de legatis.* nec inde tamen ſortilegi artem ſuam defendere debent. *cauſ.* 26. *q.* 2. *c. non ſtatim & ſeq.* 14 Sic Virgil. *lib.* 2. *Æneid. verſ.* 201. Laocoon ductus Neptuni ſorte ſacerdos. 15 Vide *l.* 31. *ſupr. h. t.* 16 Interpretatio Contii. 17 *l.* 42. §. 1. *ſupr. h. t. Novell. Leon.* 2. 3. 1. *Tim.* 3. *verſ.* 2. 18 Hinc illud Pauli, Non, ut confundam vos, hæc ſcribo, ἀλλ᾽ ὡς τέκνα μου ἀγαπητὰ νουθετῶ. 1. *Cor.* 4. *verſ.* 14. 19 Id eſt declinaturus, aut tacite prohibiturus. 20 Senſus eſt, qui captivos in univerſum inſtituit heredes, totam hereditatem eis confert, nulli Falcidiæ ſubjectam. Qui volunt ſua bona nulli Falcidiæ ſubjici, captivos aut pauperes heredes inſtituant : ſed hoc apertius exponam §. 4. *J. h. t.* 21 Captivi vox eſt incerta, ideoque videbatur legatum non valere. *J. tit. de incert. perſon.* 22 Captivi heredes inſtitui poſſunt. 23 Id eſt, inſtituerit. An idem ſi ſubſtituerit ? Baldus ait. 24 Captivis quod relinquitur, non relinquitur incertis perſonis. *l.* 24. *l.* 28. *ſupr. h. t. Novell.* 131. *cap.* 11. Cur ita ? licet ſtricto jure inſtituti ſint captivi, ac pauperes, quorum ſingulæ perſonæ incertæ : pietatis tamen ratio hæc eſt, ut jus & nomen heredis tribuatur certis pauperum, & captivorum adminiſtratoribus. Hi ſemper certi : nimirum epiſcopus, œconomus, xenon : licet ipſi pauperes, quibus viritim fiat diſtributio, incerti ſint. 25 Cujus maximus eſt favor. 26 Captivis conceſſa, & quæ ſuperius dicta ſunt de captivis, eadem locum habent in inſtitutione pauperum. 27 Ratio dubitandi *ex l.* 9. §. 9. *ff. de her. inſtit.* 28 Vide *l. ult. ſupr. tit. prox.* 29 De lare, vide *l.* 1. §. 2. *ff. de agnoſc. & alend.* 30 Vide quæ notavi *ad l.* 93. *ff. de verb. ſign.* 31 A ſpeciali herede interdum ita recedere poſſumus, ut Falcidia non utatur. 32 Captivis, aut pauperibus quod relinquitur, ſacro corpori relinqui intelligitur. Inde fit, ut hujusmodi relicta non minuantur per legem Falcidiam. Vetatur enim rerum ſacrarum diminutio. 33 Xenonem qui heredem inſtituit, in dubio ſuæ civitatis xenonem inſtituiſſe intelligitur. Etenim ſuam quisque magis, quam alienam civitatem diligere præſumitur : & ita recte judicari poteſt ex præſumpta voluntate teſtatoris. 34 Xenodochium qui inſtituit, Xenodochii nomine ægrotos advenas inſtituere videtur. 35 Xenodochus is eſt, qui advenas ægrotos, inopes, debiles, invalidos, neceſſarium ſibi victum parare nequeuntes hoſpitio excipit. 36 Senſus eſt, Xenones ita ſolent inſtitui, vel ut certam ſummam pauperibus ſemel diſtribuant, vel ut reditum annuum erogent, vel ut ex mobilium pretio immobilibus emptis annuum victum ægrotantibus præſtent. 37 Senſus eſt, vox *Pauperis* a propria ſignificatione non eſt detorquenda. Ideoque pauperibus inſtitutis non tam eorum hoſpes, quam ipſi hoſpitio excepti ac egentes, inſtituti videntur. 38 Teſtamentarius executor actiones movere poteſt ſicut heres. *Bart.* 39 Piorum locorum adminiſtratores ſi quid ipſis piis locis teſtamento ſit relictum, ipſi, inquam, adminiſtratores, eo caſu jus, & nomen heredum ſortiuntur ac ferunt : nempe ut debita teſtatoris exigant, & ejus creditoribus ſatisfaciant, & creditoribus dimiſſis, relicta ipſis pauperibus dividant, ſeu diſtribuant. Hoc cum ſit, videntur comparari heredibus fideicommiſſi reſtitutioni obnoxiis. Licet igitur aliquis Trebellianicam, aut Falcidiam ab iis deducit : eo magis quod hac lege jus, & nomen heredum accipiant : ſed non ita jus eſt : alio enim fini heredes inſtituuntur, nempe non ut lucrum faciant, ſed ut integrum relictum diſtribuant : nullo lucro eis relinquendo. §. 2. *ſupr. h. t.* ſine Falcidiæ ratione §. 6. *J.* nulla Falcidia intercedente. §. 7. *J. h. t.* 40 Sic intelligo, Xenodochum (idem ſentiendum in ſimilibus perſonis) heredem inſtitutum, univerſam hereditatem pauperibus diſtribuere teneri : nec ex ea deducere quartam jure inſtitutionis. §. 6. *J. h. t.* Alias nimis generale eſt, quod ex hac lege colligi ſolet : Ex relictis ad pias cauſas non detrahi legitimam : cum legitima jure naturæ debita ſemper detrahenda ſit, licet aliud ſit in legitima debita jure inſtitutionis, vid. Wurmſer. 1. *Pract.* 39. *cap.* 8. 41 Senſus eſt, Relictum certo xenodochio, ei deberi. §. 7. *J. h. t.* incerto, civitatis xenoni deberi. §. 3. *ſupr. h. t.* Quid ſi plura ſint in civitate xenodochia ? pauperiori : Quid ſi nullum ſit in civitate xenodochium ? Epiſcopus relictum pauperibus diſtribuit integrum, nulla deducta quarta. 42 Vide §. 4. *ſupr. h. t.* §. 7. *J. h. t. Nov.* 131. *cap.* 12. 43 §. 8. *infr. h. t.*

De